

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2043

Auteur(s) : Luc, Évreux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Gaillon, Saint-Antoine (collégiale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1215, 14 décembre

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Luc, évêque d'Évreux, règle les différends existants entre les chanoines de Saint-Antoine de Gaillon, et Barthélemy Cadoc, neveu du fondateur, sur les droits du chapitre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 149-150.
- b. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXVIII, p. 166-168.

Texte établi d'après b

Universis sancte matris Ecclesie filiis, Lucas, Dei gratia, Ebroicensis episcopus, salutem in Domino.
Noverit universitas vestra quod cum causa verteretur inter canonicos ecclesie sancti Anthonii de Gaillon, ex una parte, et personas sancti Albini, G. de Foresta et Bartholomeum nepotem domini Cadulci, de Gaillon castellani, ex altera, de pertinentiis et ecclesie Sancti Anthonii iuribus, nos, de assensu utriusque partis, mediante consilio et assensu Cadulci predictae ecclesie fundatoris et presente, et non contradicente abbate de Cruce Sancti Leufredi et multis aliis, pacem inter eos in hunc modum reformavimus.

Videlicet quod universus redditus ecclesie Sancti Antonii de Gaillon, tam ex titulo emptionis quam ex causa donationis vel legati, vel alio modo acquisitionis et imposterum acquirendi, colligetur et in unum adducetur.

Omnibus collectis et in unum adductis, unusquisque eorumdem canonicorum quatuor presentium, scilicet N., cantor, M.p. de Platea, R. de Brisca et N. de Francia, pro prebenda sua decem libras parisienses singulis annis percipiet ; similiter et eorum successores percipient, medietatem ad Natale Domini et reliquam medietatem ad festum sancti Johannis Baptiste ; quicquid vero residuum fuerit in dictis redditibus, luminari ecclesie addito, communie cedet in usus.

Preter hec autem cantor vel unus e canonicis quatuor, vel ille qui cantoriam habebit, percipiet, nomine cantorie, singulis annis, sexaginta solidos parisienses et unum modium frumenti apud Torniacum, et quicquid poterit acquirere dictus cantor vel ejus successor in usus cedet cantorie. Si autem creverit numerus canonicorum usque ad septuaginta numerum, singuli eorum percipient nomine prebende centum solidos monete currentis apud Gaillonem. Quin imo due siquidem persone Sancti Albini, scilicet, G. de Foresta et B. nepos domini castellani vel eorum vicarii vicissim per hebdomadas suas ecclesie Sancti Antonii de Gaillonem tenentur deservire.

Persona vero hebdomadaria vel ejus vicarius hebdomadarius, si sustinuerit onus servitii ecclesie Sancti Antonii die ac nocte in ordine sacerdotali, sicut unus canonicorum fructus sue communie congaudebit, dum tamen non celebret missam in capella sita in castello, vel in majori altari ecclesie Sancti Antonii.

Successores autem personarum predictarum scilicet G. et B. nisi in propria deservierint persona, de cetero nullius communie beneficium participabunt. Persona vero hebdomadaria, si residenciam fecerit apud Gallionem, usum suum per hebdomadam suam in suo more habebit ; alibi moram faciens non habebit.

Si autem canonici aliquos redditus emere voluerint et potuerint, si persone Sancti Albini et alii communicarii requisiti, secundum portionem que eos contigerit, de suo ponere voluerint similiter participabunt et communicabunt, alioquin a communione illius emptionis excludentur.

Si autem canonicus de suo proprio redditus comparaverit, ubi et cui voluerit sibi dare licebit in vita sua ; post mortem vero redditus ad usum communie revertetur.

Predicte persone Sancti Albini vel eorum vicarii extra chorum ad altare suam missam celebrabunt hora competenti, vel missas, si opus fuerit, dum tamen officium canonicorum non impediunt.

Oblationes vero et conventiones que ad altare suum fient sine participatione canonicorum habebunt.

Canonici oblationes et conventiones que infra chorum offerentur, ad usus et ornamenta ecclesie sue reservabunt ; si quid residuum fuerit vel in emptione redditus aut in emendos redditus, vel in usus communie extendentur.

Et hoc sciendum est quod in acquirendo jure ecclesie Sancti Anthonii de Gallione, canonici et persone Sancti Albini respectu portionis sue onus et expensam, sicut et canonici, sustinebunt.

Rectores Sancti Albini ac vicarii vel capellani Sancti Albini duas medias campanas in ecclesia Sancti Antonii pulsabunt.

Et si fuerit copia librorum sufficienter a canonicis, dum ministrant, computum autem reddere communicarii seu receptores tenebuntur in Natali Domini, in termino sancti Johannis Baptiste, communie, presentibus dictis canonicis vocatis.

Et ut hoc perpetuam obtineat firmitatem, presens scriptum sigilli nostri munimine confirmavi, anno Domini M° CC° XV°, die vero xiiij. decembris.